COROLLARIUM.

De aliquo Christianæ Religionis capite ex Confessione Belgicâ & Catechesi Palatinâ, siquis interrogare velit, pro modulo gratię nobis indultæ, respondebimus.

FINIS.

COROLLARIUM.

De aliquo Christianæ Religionis capite ex Confessione Belgicâ & Catechesi Palatinâ, siquis interrogare velit, pro modulo gratię nobis indultæ, respondebimus.

FINIS.

DISPUTATIO THEOLOGICA INAUGURALIS,
DE
UNIVERSALI MERITO MORTIS CHRISTI,
Atque ILLIUS
CORPORALI PRAESENTIA IN S. COENA:

QUAM

D. T. O. M. Benedicente,

Ex Authoritate & Decreto

REVERENDÆ, CLARISSIMÆQUE

FACULTATIS THEOLOGICAE,


PRO

Doctoratu, summisque in S.S. Theologia honoribus, & privilegijs, in Electorali ACADEMIA, quæ est Duisburgi Clivorum, ritè consequendis,

Publica censura, & solemni eruditorum disquisitioni subjicit,

SAMUEL à DIEST, HARDERVICO-GELRUS,
S.S. Ministerii Candidatus:

Ad diem 13. MARTII, hora nona matutina usque in Meridiem in Templo Academico.



DUISBURGI CLIVORUM,
Typis IOHANNIS RAVENS, Typographi.

Anno clↄ Iↄc LVI.

REVERENDO, CLARISSIMO, DOCTISSIMOQUE
VIRO,

Dn. HENRICO à DIEST,

S.S. Theologiæ DOCTORI, Ecclesiæ Emri-
censis quondam PASTORI Fidelissimo,
Pòst in illustri Gymnasio Harderviceno,
Nunc autem Daventriensi, S.S. Theo-
logiæ, ut & linguæ Sanctæ PROFES-
SORI celeberrimo, Seniori Belgij
Reformati Theologo,

PATRI suo, omni Pietate,
Reverentiâ, honore & amore
nunquam non prose-
quendo,

DISPUTATIONEM HANC THEOLOGICAM
INAUGURALEM,

In FILIALIS Obsequij, æternaque
Gratitudinis Symbolum,

L. M. Q.

Inscribit & Offert

FILIUS Dilectus
SAMUEL à DIEST,
SS. Minist. Candid.

DISPVTATIO THEOLOGICA
INAVGVRALIS.

Procemium.

V*Erißima & observatu dignißima Servatoris vox est*, (Matth. 18.7.) ἀνάγκη γάρ ἐστιν ἐλθεῖν τὰ σκάνδαλα; *item alibi*, (Luc.17.1.) ἀνένδεκτόν ἐστι μὴ ἐλθεῖν τὰ σκάνδαλα. *Fieri enim nequit, quin scandala oriantur, nec poßibile est hæreses non excitari inter Christianos. Non quòd Servator noster scandala velit aut jubeat, (quum versu.seq. ajat*, Væ illi per quem eveniunt; Expedit ei si mola asinaria circumponatur collo eius, & abiectus fuerit in mare, quàm ut sit offendiculo uni ex parvis illis:) *sed quòd solius sapientiæ Dei consilium sit, vocationem ad regnum cælorum, lucemque cælestis scientiæ, à se filiis suis data, sic cum tenebris filiorum Diaboli temperare, ut illi non sine certamine & exercitio serventur, illoque agone manifestentur*, (1.Cor.11.19.) *hi verò detegantur, & detecti pudefiant, convincantur, judicentur*, (1.Ioh.2.19.) *Veritatem huius Christi sententiæ omnibus fere seculis, non sine insignibus vulneribus, militans Christi Ecclesia experta fuit. Vt præteream alias hæreses, quàm plurimas, quem latet rabies illa Arianorum, quum totus mundus se Arianum esse miraretur? Quis non blasphema Samosatenianorum, & Socinianorum dogmata exhorrescit? Quos non motus Bestia illa Romana, sanguine martyrum ebria, excitavit? Quæ vulnera Anabaptistæ, & Arminiani Ecclesiæ Dei inflixerint, plurimi etiamnum recordantur. Scire idipsum utile est, ignorare sanè periculosum. Hæresium veterum occasione Muhammed, in tanta animorum fluctuatione, aliis Christum, verum Deum, nostrum Mediatorem asserentibus, aliis itidem negantibus, virus suum credulæ ob summam ignorantiam multitudini propinavit; Christum magnum quidem Prophetam, uti Mosen, fuisse, natum ex virgine Maria, &c. sed Christianorum superstitione offensum Deum legem Christi sustulisse, seque à Deo missum Prophetam armatum, qui errantes gladio coerceat. Scilicet ignorantiam omnium hæresium matrem ac nutricem esse, haud quoque ignoravere Pontificij, qui veriti ne simpliciores, discußis ignorantiæ nebulis, ad scientiæ culmen ascenderent, suasque fallacias & terriculamenta de Potestate Papæ, de Purgatorio, (unà tùm religionis, tùm opulentiæ Pontificiæ columna & stabilimento) resiscerent, hanc eorum ignorantiam religionis fuco pinxerunt, jubentes eos à lectione & scrutatione S. scripturæ, atque à fidei propria exploratione, abstinere; fidem implicitam, seu carbonariam, uti vocant, (quâ quis nudo assensu credit, quod Ecclesia, quod Pastor eius credit,) ad salutem consequendam sufficere putantes. Imò verò & Papam Paulum II. omnis eruditionis contemtorem, viros eruditos hæreticos*

 appel-

appellasse, nec, præter legendi ac scribendi artem, aliam scientiam à quopiam postulasse, testatur Platina. Quapropter nobis & à Christo, eiusque Apostolis, locis allatis, & ab ipsa experientia, de necessitate & certitudine scandalorum ac hæresium edoctis, monitisque, quo Deus fine hæreses in Ecclesia foveri permittat, quænam necessitas Christiano militi incumbat, judicatu facillimum est: nempe, non tantùm veritatem in propatulo locare, & asserere, sed etiam hæreses pandere & impugnare, ut illam amplecti, has verò fugere discant Christiani. Nos igitur exiguum huius rei specimen, in veritate protegenda, & falsitate oppugnanda, hâc disputatione edituri, non quidem omnes omnium hæreticorum aut schismaticorum errores, quos unicâ disputatione vel recensere difficile esset, ventilabimus; sed prætermissis pluribus controversiis, inter nos & Pontificios, Socinianos, Anabaptistas, aliosque motis, & singularibus disputationibus alibi à nobis agitatis, solummodò ex præcipuis unam alteramve quæstionem, quam Arminiani, Lutherani, aliique his temporibus nobis movent, ad veritatis trutinam, quâ poterimus brevitate, appendemus: ut frumento bono à paleis inanibus, vento S. scripturæ, repurgato, veritas immota stabiliatur.

QVÆSTIO I. ARMINIANORVM, Aliorumque:

An Christus pro Vniversis & singulis hominibus mortuus sit?

Thesis I.

HVic Quæstioni & illæ consonant, *An Gratia Dei sit Vniversalis? An Deus velit omnes & singulos homines salvos fieri.* ARMINIANI, hominem suæ conversionis fabrum & architectum facientes, divina consilia ex humanis metientes, Deumque ad calculos revocare, eique humanas leges præscribere audentes, censent, *Christum morte suâ omnibus & singulis hominibus Actualem remissionem peccatorum, reconciliationem, æternamque salutem acquisivisse; non dubitantes asserere, Pharaoni, Iudæ, Caino, non ut reprobis, sed ut peccatoribus reconcilationem ac salutem morte Christi reipsâ partam esse. Deum enim ex æquo omnium hominum salutem intendere, sed hominis incredulitatem impedire, quò minus remißio & reconciliatio omnibus applicetur. Volunt enim nec Deum Patrem ex intentione quenquam salvandi, per Filij sui meritum, Filium suum morti tradidisse; nec Filium hanc vocationem acceptasse, mortemque subire voluisse, ut certos homines infallibiliter servaret. Nam etiamsi nemo credidisset, Christus tamen* (si his creditur) *fine, quem sibi moriendo proposuerat, frustratus nequaquam fuisset: cum propterea mortuus non sit, ut quem præcisè & infallibiliter servaret; sed tantùm ut Patri suo jus ac potestatem acquireret, quò posset eorum, quibus conditionem salutis proponeret,*

poneret, misereri, eosque illæsâ suâ justitiâ servare: utque homini salutem solummodò possibilem redderet, ac januam salutis æternæ viamque immortalitatis panderet, quam eidem ingredi aut non ingredi liberum esset. Quare inter impetrationem & applicationem distinguunt, *Omnibus quidem reconciliationem, & remissionem peccatorum impetrari, sed solis credentibus applicari perhibentes.*

II. Hæc Arminianorum absurda dogmata accuratâ judicii lance ponderans, eadem ex absurdâ eorum de libero hominis arbitrio, indifferentiæ adutrumq; obiectum, & bonum & malum sententiâ, pullulare reperiet. Nam quid absurdius dici potest quàm *Christi morte omnibus & singulis hominibus, etiam Iudæ, Caino, Pharaoni, aliisque, quos Deus ab æterno damnare decrevit, reconciliationem, salutemque æternam acquisitam esse.* Quomodo enim Christus iis, qui nunquam crediderunt, nec fuerant credituri, reconciliationem impetrasset. Per hanc doctrinam Deo illuditur, quum Christus à Patre, quod nunquam profuturum sciat, impetrare fingatur. Nam si Christus Pharaoni & Iudæ, seu quà reprobis, seu quà peccatoribus, reconciliationem ac remissionem peccatorum acquisivit, sat sciens hanc impetrationem saluti ipsorum nunquam cessuram, sic Patrem rogans inducitur: *Obsecro te, mi Pater, in gratiam meos recipe, quos te nunquam in gratiam recepturum, quosque certo damnandos esse scio.* Quod si verum est, Deum acta sua recidisse necesse est, de Pharaonis ac Iudæ peccatis, quorum remissio morte Christi jam ipsis impetrata fuerat, æternæ damnationis pœnas sumens.

III. Præterea si *Deus ex æquo omnium hominum salutem intendit*, sanè generi humano illudere videtur, hanc reconciliationem maximæ generis humani parti ignotam manere perferens, ac tàm multis hominibus reconciliationem, illis per mortem Christi partam, abscondens.

IV. At inquiunt; *Hominis incredulitatem impedire, quò minus remissio & reconciliatio omnibus applicetur.* Quasi verò quis se dignum hac applicatione possit præstare, quorundam autem indignitas seu incredulitas gratiam Dei superet; ut desperabundus Cain dicebat, *Peccatum meum maius est, quàm ut remitti possit.* Gen. 4. 13. Aliter sanè Apostolus Paulus, Rom. 5. *Vbi peccatum amplificatum est, ibi superabundavit gratia*: sc. maximè indignis & incredulis maxima contingere potest gratia.

V. Ineptiunt igitur Arminiani, asserentes *nec Deum Patrem ex intentione quenquam salvandi per Filij sui meritum, Filium suum morti tradidisse; nec Filium hanc vocationem acceptasse, mortemque subire voluisse, ut certos homines infallibiliter servaret.* Nam id quod necessariò meritum ac decretum Dei, de Filio suo morti tradendo, præcedit, Christi merito attribui nequit.

 Inten-

intentio autem Dei quosdam peccatores servandi, antecedit decretum Dei de Filio suo morti tradendo, in redemptionis pretium pro multis. Non enim Deus Pater Filium suum mittere decrevit, nisi ex intentione præviâ peccatores sibi reconciliandi, & cum iis in gratiam redeundi: alioquin frustra Filium suum misisset in mundum, &, non sine immani crudelitate, eum innocentissimum, amaræ & exsecrabili morti tradidisset Quamvis autem Deus cum peccatoribus actu in gratiam non redeat, nisi mediante satisfactione Filii sui, intentio tamen & voluntas reconciliationis, secundum nostrum considerandi modum præcedens, Deum movit ad Filium suum morti tradendum. Sic & Filius voluntati & intentioni Patris, de reconciliandis sibi peccatoribus, satisfacturus, hanc missionem, eodem fine, ut quosdam peccatores Deo reconciliaret, acceptavit: alioquin Christus finem missionis suæ non fuisset assequutus.

VI. At ajunt: *Etiamsi nemo credidisset, Christus tamen fine, quem sibi moriendo proposuerat, nequaquam frustratus fuisset; quum propterea mortuus non sit, ut quem præcisè & immutabiliter servaret, sed tantùm ut Patri suo jus ac potestatem acquireret, quò possit eorum, quibus conditionem salutis proponeret, misereri, eosq; illæsâ suâ justitiâ servare: utque homini salutem solummodò possibilem redderet, ac januam salutis æternæ, viamque immortalitatis panderet, quàm eidem ingredi aut non ingredi liberum esset.* Quæ si vera sunt, Christus suâ morte nihil nobis meritus fuit, atque nec fides, nec salus nostra fidem consequens, finis Christi mortis fuit: proinde nec meruit Christus nobis fidem, nec regenerationem, nec per consequens salutem; cum finis mortis Christi, iuxta illos, potuerit constare, etiamsi omnes damnarentur. At his expressè Paulus contradicit, Eph. 1. 3. *Deum nobis in Christo omni benedictione spirituali benedixisse.* Non igitur sufficit, morte Christi Deo jus ac potestatem hominem salvandi acquisitam esse, sic ut Deus eosdem sine violatione justitiæ suæ possit servare; quum hæc potestas nihil in homine ponat: nec satis fuit, Deum velle cum peccatoribus in gratiam redire, gratiam inquam communem erga omnes homines, iisque salutem possibilem reddere, ac viam immortalitatis ingrediendam aperire: sed necesse fuit, ut Christus ipsam vocationem, fidem, ipsamque salutem, morte suâ, Petro, Paulo, omnibusque servandis, immutabiliter acquireret. Cæteroquin Christus respectu omnium electorum frustra mortuus fuisset, Deoque tantum, non autem electis morte suâ aliquid peperisset; adeoque non dator, sed præparator salutis dicendus esset. Quæ sententia maximam partem Socinianismum sapit.

VII. Πρῶτον verò ψεῦδος in eo latet, quòd hi Novatores, *banc viam salutis*

lutis ingredi & non ingredi, in hominis potestate esse statuant. Cum tamen scriptura contrà clamet, *Non esse volentis aut currentis, sed miserentis Dei*, Rom. 9.16. *Deum esse, qui efficaciter in nobis operetur & velle & perficere, pro suo beneplacito*, Phil. 2. 13. *Dei donum esse servari*, Eph. 2.8. *Neminem ad Christum venire, nisi Pater eum traxerit*, Ioh. 6.44. Quum *cogitatio cordis humani omni tempore duntaxat mala sit*, Gen. 6. 5. imò *homo in peccatis mortuus sit*, Eph. 2.1.

VIII. Sed hâc unicâ fortè distinctione, inter impetrationem & applicationem reconciliationis, ex omni difficultate se expedient; *omnibus quidem reconciliationem & remissionem peccatorum impetrari, sed solis credentibus applicari asserentes.* Quæ quidem distinctio quantumcunque inter homines locum habeat, apud Deum tamen locum habere nequit, à quo nihil impetratur, quod non largiatur, actuque conferat. Quando autem dicunt Christum pro omnibus & singulis hominibus esse mortuum, quoad reconciliationis impetrationem, non verò quoad applicationem, fatentur Christum morte suâ non impetravisse, ut hæc reconciliatio omnibus applicetur. Vnde fit ut inanis & ridicula sit hæc impetratio. Perinde enim est ac si dicerent, alicui impetratam esse liberationem, sed non ut liberetur, alicui nudo vestimenta esse impetrata, sed non impetrata ut nuditas illius tegatur.

IX. Objectiones Arminianorum, quibus, Christum pro omnibus & singulis hominibus mortuum esse, asserere conantur, inter disquirendum à nobis diluentur. Observandum autem, Adversarios nostram sententiam plerumque immutare, antequam impugnent, atque ita non nostram sententiam, sed propria sua figmenta refutare, & cum propriâ persæpe umbrâ confligere, (prout sic lascivientes inaudita dogmata Orthodoxis per calumniam affingunt:) propriam autem ipsorum confessionem non nisi coactos hæsitanter eosdem stabilire. Scilicet à Spiritu vertiginis & cotradictionis eos agi, quilibet, nisi sibi ipsi oculos configat, ex dictis colligere potest. Nam ex hac eorum sententiâ, Cainum, Iudam, aliosque reprobos sic affari possum: *Estote bono animo, Christus suâ morte omnibus & singulis hominibus, etiam vobis, remissionem peccatorum, reconciliationem, æternamque salutem, sed (quod dolendum) nullam salutis applicationem impetravit; impetravit vobis salutem, sed non ut actu eam unquam possideatis; impetravit vobis remissionem peccatorum, quæ vobis nunquam remissum iri, & reconciliationem, quam vobis non profuturam, certò sciebat: Verum quidem est, Deum omnium, etiam vestrorum, salutem ex æquo intendisse, sed plurimorum, ut & vestra incredulitas impedivit, quò minùs remissio & reconciliatio omnibus, ac etiam vobis, applicetur: nec tamen hac vestra incredulitas Dei Patris, Filijve intentionem impedivit: non*

enim Deus Pater, ex intentione quenquam salvandi, Filium suum morti tradidit, nec Filius fine suo frustratur, etiamsi nemo in eum credat, nemo per eum servetur, & sit caput Ecclesiæ sine certis membris; quia tamen Deo jus ac potestatem acquisivit, omnes homines, etiamque vos, salvandi, omnibusque hominibus salutem possibilem reddidit, januam vitæ æternæ omnibus ingrediendam pandens. Ne igitur animum despondeatis, ô reprobi, Deus vobis omnibus viam salutis sternit, vobisque omnibus dat vires credendi, ut actu credatis, si velitis: positum est in vestro libero arbitrio, gratiâ uti vel non uti, ut possitis servari, etiamsi certò sitis damnandi. Quis non ad tam prodigiosam doctrinam, Deo, hominibusque probrosam exhorrescat?

X. Huic Arminianorum sententiæ hodierni LUTHERANI fere suffragantur, hoc ipso à Luthero discedentes, ejusque libellum, quem de servo hominis arbitrio contra Erasmum edidit, repudiantes: qui etiam propterea malè Lutheri discipuli vocantur. Vt autem Lutheri sectatores rectè distinguantur, hæc *tria* eorum *genera* obiter observentur. *Primum* eorum qui Lutheri authoritate fascinati, corporalem Christi præsentiam in S. Cœna credunt, in reliquis autem omnibus religionis capitibus cum Orthodoxis consentiunt. Et hi *genuini Lutherani* sunt. *Alterum* eorum qui non modò Lutheri sententiam, de corporali Christi præsentiâ in sacra Cœna retinent, sed & Lutheri sententiam adulterantes, novos errores, contra Scripturam, sub Lutheri nomine, Ecclesijs suis obtrudunt, atque schismatis fovendi causâ ab Orthodoxis recedunt. Et hi *Pseudo-Lutherani* appellari merentur. *Tertium* eorum, qui, rejectis Lutheri erroribus, S. Scripturæ dissonis, in omnibus ipsi assentiuntur, quæ consona S. Scripturæ pio Zelo contra Anti-Christum, aliosque fanaticos docuit. Et hos Pontificii *per calumniam* quandoque *Lutheranos*, ipsi verò Lutherani *Calvinianos*, seu *Calvinistas* nuncupant. Malè autem quisquam Lutheranus vel Calvinianus à Ministro Ecclesiæ suæ appellatur, quum Paulus expressè vetet, 1. *Cor.* 1. 12. 13. nos ab authoritate Doctorum Ecclesiæ dependere, ac ab ijs denominari: nam unum habemus Dominum Christum, à quo Christiani denominamur. At si discipuli Doctoris cujusdam, à Christi doctrina discedentes, in verba & errores Magistrorum suorum jurent, meritò à Doctoribus suis cognominantur. Sic quotquot Pontificis seu Papæ Romani, supra Christum, ipsumque Deum se efferentis, ut dicitur 2. *Thess.* 2. 4. dogmata sequuntur, ab eo tanquam capite Ecclesiæ suæ dependent, summo jure Pontificios seu Papistas appellamus; quum ne alio quidem nomine eos indigitare queamus. Hi igitur secundi generis Lutherani, Pseudo-Lutherani potius dicendi, litem nobis, de universali merito

rito

rito mortis Christi, movent; in omnibus tamen Arminianis non adstipulantur. Quia verò rarò sententiam suam explicant, hic paucis eam aperire operæ pretium erit. Statuunt *universale Christi meritum: Christum pro omnibus & singulis hominibus esse mortuum, eosque sanguine suo redemisse, Deoque reconciliasse, idque secundum universale Dei decretum Electionis.* Ne a. cogantur asserere omnes & singulos homines actu salutem æternam assequi, *Voluntatem Dei in Antecedentem & Consequentem, seu Vniversalem & Particularem distinguunt. Antecedentem vocant æternum Dei consilium de omnibus & singulis hominibus salvandis*: Vnde Vniversale Christi meritum oritur. *Consequentem* appellant *decretum Dei æternum de salvandis credentibus, & damnandis incredulis. Hæc autem particularitas, quod quidam salventur, quidam damnentur*, juxta eos, *non dependet à voluntate Dei*, (qui seriò vult, ut omnes & singuli homines credant & serventur) *sed ab incredulitate ipsius hominis, qui benigno Dei beneplacito non obsequitur.* Quam parum hæc sententia à Pelagianismo discrepet, cuilibet obvium est. Sufficit igitur eam suprà atro carbone notasse.

XI. Quia verò sententiæ suæ fundamentum, in distinctione voluntatis antecedentis & consequentis, collocant, hæc sequentia de hac distinctione addere lubet. Quum nullum sit in Deo *antecedens* decretum, conditionale & incertum, ab eventu dubio pendulum: nullum item decretum *consequens*, distinctum & particulare ex arbitrio humano, merito hanc rejicimus distinctionem. Illius enim membra cum suo diviso, quod est voluntas Dei manifestè pugnant. Nam Dei voluntas, pro decreto accepta, est certa fixa & immutabilis, finemque suum semper assequitur: ut ipse Iehova inquit, Es. 46. 10. *Consilium meum stabit, omnisque voluntas mea fiet*: Sic & Esaias cap. 14. vers. 27. *Consilium Iehovæ quis irritum faciet?* Et Paulus Rom. 9. 19. *Voluntati eius quis risistit?* Huius autem distinctionis membra voluntatem Dei mutabilem, incertam &c. reddunt. Præterea huius distinctionis membra planè se invicem oppugnant, quorum unum omnes salvari affirmat, alterum negat. *At inquiunt*, Hæc non esse contradictoria, sed subordinata. Vult Deus omnes homines credere, & per fidem salvari, sed quia multi proprio vitio non credunt, ideo consequente Dei voluntate damnantur, credentes autem salvantur. *Resp.* Ex his sequitur fidem esse humani arbitrij opus, & in homine esse antecedenti Dei voluntati obsequi vel resistere, Deumque voluntatis consequentis participem facere vel orbare. Quod quomodo s. literis contradicat antea probatum est. Ex hoc unico articulo apparet quantum hodierni Lutherani à M. Luthero secesserint.

XII. Non defuerunt tamen viri cætera Orthodoxi, qui pacis conciliandæ gratia, at infelici successu, Lutheranis, sic faciliùs, ut putabant, pacandis, concesserunt, *Gratiam obiectivam esse universalem, seu Christum mortuum esse pro omnibus & singulis hominibus. Gratiam verò subiectivam*, ad testandum nobis consensum, *specialem concedebant. Gratiam igitur obiectivam vocant tum meritum Christi, quod credendum omnibus offertur, tum vocationem externam, naturalem sc. quâ si quis rectè uteretur venturum vel ipsum Christum de cœlo, vel missurum ministros, qui eum rectâ ratione utentem fide fideique fructibus instruant. Gratiam autem subiectivam, h.e. fidem, fideique fructus nobiscum particularem esse concedunt.* Post multas tamen altercationum ambages in eo conveniunt, *omnibus quidem Christum annunciari, sed non ab omnibus eum recipi:* arctiùsque pressi in hanc arenam conscendere coguntur, *An Christus pro omnibus & singulis hominibus sit mortuus.* Affirmant autem, *Christum quidem pro omnibus & singulis hominibus mortuum esse sufficienter; mortem tamen ejus non nisi solis electis per fidem applicari. Quòd omnes autem morte Christi non liberentur, non in defectu meriti Christi, sed hominis infidelitate situm esse. Quemadmodum enim Sol omnium oculos illustrare dicitur, etiamsi multi sint cæci, multi dormientes, multi in tenebris abditi, quibus tamen lux solaris sufficeret, si essent oculati, vigilantes & in media luce positi: Sic & posse dici, Christum pro omnibus & singulis hominibus mortuum esse, etiamsi multi propriâ suâ incredulitate per Christum non serventur, quum & iis, si crederent, mors Christi sufficeret.*

XIII. Et sic hæc quæstio cum Arminianorum ante refutatâ fere congruit: differt tamen imprimis ab illa, quòd Arminiani vi liberi arbitrij sui sententiam suam stabiliant, statuentes penes hominem esse, hanc universalem gratiam amplecti vel repudiare; hi autem Patroni Universalis Gratiæ Arminianos hac in parte nobiscum impugnent. Quare suprà dicta hic repetere superfluum ducimus. Quod autem statuitur, *Gratiam objectivam esse Universalem, h.e. meritum Christi, quod omnibus amplectendum offertur, & vocationem externam, naturalem sc. quâ quis rectè utens possit salutem attingere*, gratìs & sine fundamento dicitur. Nam si hæc obiectiva gratia est universalis, debet *primò* omnibus & singulis offerri, quod ne ipsi quidem adversarij admittunt. Nam multæ adhuc gentes sunt, qui de Christo ne audiverunt quidem. Quomodo autem ei credent, de quo non audiverunt, *Rom.* 10. 14. *Deinde* nullibi Scriptura dicit gratiam supernaturalem omnibus dari, per quam naturali luce rectè uti possint: nullibi dicit gentes, quæ Christum ignorant, Deique expertes sunt in mundo, *Eph.* 2. 12. hac naturali luce ad fidem posse pervenire. Liber naturæ oculis Gentium observabatur, legis opus cordibus eorum erat inscriptum, h.e. æqui bo-

nique

nique aliquæ notiones, sed multa caligine offuscatæ, nec per illam Gratiam sufficientem quisquam ad fidem ac salutem pervenit. *Præterea* nullibi Scriptura dicit, Deum teneri dare incrementa gratiæ illis, qui naturali luce rectè usi fuerint; ipsumque Christum paratum esse de cœlo descendere, aut ministros suos mittere, quò ulteriori gratia donentur. Nam sic Deus paratus esset exsequi, quod se nunquam exsequuturum novit, proclivis esset hominem maiore gratiâ, sub conditione nunquam implendâ, cumulare. Sic dubio procul pluribus Ethnicis, qui vitæ temperantiâ & appetituum refrænatione, atque justitiæ cultu, plurimos Christianos superarunt, quique de Deo plurima præclara dixerunt, sua gratia, & auxilio speciali, Deus statim adfuisset. At nemo unquam Ethnicorum se hanc Dei gratiam sensisse, ore, scriptove, professus fuit.

XIV. At *excipient* fortè, me hîc cum propria umbra confligere, quum & ipsi nolint Deum omnes & singulos homines singulariter simul & omni tempore vocare. *Resp.* Quomodò gratia potest universalis dici, nisi omnibus & singulis hominibus universim prædicetur. Neque tamen illi inficiantur, *Deum quodammodo omnes & singulos homines ad pœnitentiam vocare, sc. 1. per legem naturæ; 2. per quotidianam benignitatem, quâ omnes ad pœnitentiam invitat, ut Deum quærant, agnoscant, celebrent; 3. per generale Evangelij mandatum, credite & resipiscite, quod & statim à lapsu*, Gen. 3.15. cap. 4. 6. 7. c. 6. 3. *& à diluvio universo generi humano annunciatum*, Gen. 9. 9. *ac deniq; ab Apostolis per Vniversum mundum prædicatum*, Mat. 28. 19. &c. *Vide Crocij Duodecadem dissertationum apologet. Syntagmatis Theol. dissertationem 12. thes. 67. Regero*, si *quodammodò* omnes & singuli homines ad pœnitentiam vocantur, omnes & singulos saltèm vocari, manifestum est. Non inficiamur quidem omnibus hominibus aliqualem Dei cognitionem, & æqui bonique notiones quasdam ingenitas esse; nullo tamen modò hinc sequitur quenquam hac luce naturali salutem posse attingere; nec propterea sequitur, omnes ad pœnitentiam in Christo vocari; gratiam obiectivam universalem esse, omnibusve mortem Christi annunciari, ob rationes modò à nobis datas. Et sic duæ priores Adversariorum rationes nihil inferunt; nec tertia magis stringit. Nullus enim ex citatis locis probat, fidem & resipiscentiam omnibus & singulis hominibus in Christo oblatam fuisse, atque etiamnum offerri: Nam hanc promissionem. *Gen.* 3. 15. Adamo & Evæ, de semine mulieris contrituro caput serpentis, factam, omnibus eius posteris oblatam fuisse, dicere quis audeat? Nam sic nullus omninò homo Christum ignoraret. Nec ex colloquio Dei cum Caino, *Gen.* 4. 7. nec ex eiusdem deliberatione de non inundando mundo, *Gen.*

 6. 3. se-

6.3. sequitur Deum omnibus & singulis hominibus gratiam obiectivam offerre. Sic nec *Gen.* 9.9.10.11. Deus propriè loquitur de federe gratiæ in Christo, sed de federe universali, non tantum cum Noacho eiusque posteris, sed & cum ipsis animantibus stabilito, de non inundandâ rursus terrâ. Nam Deus paucis tantum familiis gratiam suam manifestavit, & reliquas gentes sivit suis ipsarum viis incedere, *Act.* 14. 16. Iacobo indicavit verba sua, statuta & iura sua Israëli, nec sic fecit ulli genti, quæ ideo iura ista non noverunt, *Ps.* 147. 19. 20. Quomodo quæso Deus omnibus gentibus universalem gratiam obtulisse dicitur, quibus Deum jura & statuta sua non indicasse, quosq; eadem ignorasse Scriptura testatur? Denique quod scriptura asserit Apostolos per universum mundum Evangelium prædicasse, *Matth.* 28.19.&c. non intelligendum est, quasi Apostoli omnes orbis terrarum partes peragrarint, & sic Evangelium omnibus & singulis hominibus annunciarint, quum contrarium & Scriptura & experientia testetur: sed Christus mittens Apostolos ad omnes Gentes noluit Evangelium solis Iudæis, ut in V. Test. sed omnis generis Gentibus, qualescunque etiam essent, prædicari. Quod hoc loco probare, quum à pluribus præstitum sit, superfluum esset.

XV. Pergunt Adversarii dicere; *Omnibus quidem Christum annunciari, sed non ab omnibus eum recipi*: tandemque dicere coguntur, *Christum quidem pro omnibus mortuum esse sufficienter, mortem tamen ejus non nisi solis Electis per fidem applicari: quòd autem non omnes liberentur, non in defectu meriti Christi, sed hominis infidelitate situm esse.* Si hic Adversarii dignitatem meriti Christi solummodò extollere vellent, quæ tanta fuit, ut & omnibus redimendis suffecisset, si Deo placuisset, omnesque credidissent, nullam illis litem moveremus, sed quòd dicunt Christum pro omnibus & singulis omninò mortuum esse, absurdo carere nequit. Nam pro quibus Christus mortuus est, illi non salvari non possunt. Omnes autem salvari nemo admittet: ergo nec illud, Christum pro omnibus esse mortuum. Absurditatem huius sententiæ supra contra Arminianos ostendimus, nec hîc repetimus.

XVI. At fortè hac distinctione elabentur, *Christum quidem mortuum esse pro omnibus & singulis hominibus sufficienter, at pro solis electis efficaciter.* *Resp.* Hanc divisionem sufficientiæ & efficaciæ meriti Christi contradictionem implicare. Si enim Christus pro omnibus mortuus, etiam omnium peccata morte sua expiare, eorumque remissionem impetrare voluit. Idipsum enim particula *Pro*, finem denotans, requirit. Si autem peccata eorum expiare voluit, actu etiam expiavit, quia quicquid vult, ut omnipotens Deus, semper efficit. Nam si Christi meritum est sufficiens pretium,

tium, ad omnes & singulos homines redimendos, hoc sufficiens pretium etiam datum & persolutum est, ad omnes homines actu redimendos. Qui enim moritur, sive pretium persolvit, ut omnes & singulos redimat, morte suâ etiam omnibus prodesse vult. At qui mortem subit, quæ est sufficiens pretium redimendis omnibus, hoc scopo ut paucis tantum prosit, ille morte suâ omnibus prodesse non vult: sed potius vult eam, quæ omnibus sufficere posset, non omnibus, sed quibusdam tantum sufficere. Sicut enim decem tonnæ auri, datæ tribus hominibus, quæ sufficere potuissent ad plures, verbi gratiâ decem ditandos, revera tantum ad tres illos, non verò decem ditandos sufficiunt, quum reliquis septem nihil datum sit, illisque propterea nulla sufficientia accesserit: Sic & mors Christi, qua certus electorum numerus redemtus est, quamvis ad omnes redimendos sufficere potuisset, revera tamen tantum ad certum illum electorum numerum, non autem omnes liberandos sufficit: quum reliqui præter illum electorum numerum, nullam ex morte Christi utilitatem perceperint, nullamque sufficientiam mortis Christi in se experiantur. Et sic hæc sufficientia meriti Christi est tantum potentialis, h.e. ejus meritum ad omnes & singulos homines servandos sufficere potuisset, non actualis: quando autem Christus pro omnibus jam omnino sufficienter mortuus esse dicitur, non amplius potentialis, sed actualis requiritur sufficientia. Quare meritò hanc distinctionem rejicimus: ut & illam similitudinem, quam adversarii à Solis luce mutuantur. Nam illud simile non congruit. Sol omnes orbis terrarum partes luce suâ irradiat, & sic omnium oculos illustrare potest: at Christi mors non in omni terra prædicatur, & sic nec omnibus annunciari potest, unde nec Christum pro omnibus mortuum esse dici potest. Imò inverto illud Simile. Sicut Sol, quibus exoritur, omnes non tantum sufficienter, sed & efficaciter luce suâ illuminat: Sic & ijs, pro quibus Christus mortuus est, non tantum sufficienter, sed & efficaciter illius mors per fidem applicatur. *Rursus*, Sicut Sol nec cæcos, nec dormientes, nec in tenebris abditos illuminat, quum nullâ eius luce illuminentur, nec ullam omnino lucem cernant; & sic nec sufficienter illos illuminari dici potest: sic nec Christus pro omnibus & singulis hominibus ullo modo mortuus est, & sic nec sufficienter pro illis mortuus esse dici potest.

XVII. Colligimus igitur ex hactenus dictis, Christum non esse mortuum pro omnibus & singulis hominibus, sed pro solis electis: non pro mundo, sed pro datis ex mundo, *Ioh* 17.6.9. sed pro ovibus suis, *Ioh.* 10. *vs.* 15. coll. *vs.* 26. non pro omnibus, sed pro multis, *Matth.* 20.28. *Es.* 53.11.12.

QVÆSTIO II. LVTHERANORVM:

An Christus corporaliter in S. Cœna sit præsens?

Thesis I.

LEgitur Ioh. 6. v 35. 51. &c. quum Christus dixisset, *se esse panem illum qui è cœlo descendisset, panem illum vitæ, & quotquot hunc panem ederent habituros vitam æternam; panem autem illum esse carnem suam, quam pro mundi vitâ daturus sit, & quotquot nec hanc carnem suam ederent, nec hunc suum sanguinem biberent, non habituros vitam in se ipsis*: Iudæos hoc sermone audito murmurasse, dicentes, *Quomodo hic nobis suam carnem comedendam dare potest?* imò & multos ex Christi discipulis, ob hunc durum sermonem, pedem retulisse, nec amplius cum Christo versatos fuisse.

At longè maiori ingenij ἀκριβείᾳ hodierni LUTHERANI præditi sunt, quibus, quoties S. Cœnam adeunt, hic sermo non durus, sed gratus est, quique sine ulla difficultate, ore corporis, carnem Christi edi, eiusque sanguinem bibi posse, affirmant: nec eo offenduntur, quod Christus *versu 61. 62.* Discipulis suis dicebat, *Hoccine vos offendit? Quid si igitur filium hominis eò ubi priùs erat ascendentem spectaveritis?* h.e. quomodo carnem meam edere, & sanguinem meum bibere poteritis, quum ego iuxta humanam naturam in cœlum ascendero. Credunt enim *Corpus Christi in cœlum quidem sublatum esse, & tamen ne latum quidem unguem à terra ascendisse; idem corpus posse esse certo in loco, & tamen nullo loco circumscriptum, nullo exclusum; corpus posse esse alicubi sine certi spatij localis occupatione; idem corpus posse esse visibile & invisibile; idem corpus pluribus simul posse esse in locis; corpus Christi multorum credentium corpora posse nutrire, nec tamen unquam consumi; adeoque (quòd indè sequitur) corpus in infinita corpora posse multiplicari, attamen eandem semper quantitatem retinere, nunquam augeri, nunquam diminui*: & prout istæ eorum subtilitates plures sunt; quas si deponerent, animos eorum abalienatos ad concordiam pacemque nobiscum ineundam, moveri posse facilimum judico. Nam una Christi responsio, quam discipulis suis dat, *vs. 63.* (*Spiritus est id quod vivificat, caro non prodest quicquam: verba quæ loquor vobis Spiritus & vita sunt*) ijs satisfacere potest. Quamvis autem Christus hoc loco de institutione S. Cœnæ non agat, manifestè tamen perhibet, *Carnem & Sanguinem* corporaliter manducare *non prodesse quicquam*: & si nihil easdem ore manducare prodest, necessariò consequitur, nec quicquam prodesse in S. Cœna carnem & sanguinem Christi ore corporis edere,

denti-

dentibus comminuere, atque in ventriculum deferre; quum *Spiritus sit qui vivificet* (h. e. spiritualis manducatio, quæ virtute Spiritûs Christi vitam operetur) & *verba quæ Christus loquebatur Spiritus & Vita sint*, (h. e. Spiritualiter de spirituali, quæ fit per fidem, manducatione carnis Christi, sint intelligenda, adeoque verba vitæ æternæ sint, ut ipse Christus *vers.* 35. explicat) *caro autem non prosit quicquam*, ore sc. corporali manducata.

II. Et propterea non est necesse multi præsentiam, aut omnipræsentiam corporis Christi statuamus: nec scalis indigemus, quibus in cœlum adscendentes panem coelestem de coelo in terram deportemus, ibidemque manducemus: nec opus est urnâ, quâ aquam vividam ex profundo puteo hauriamus, ut mulier illa Samaritana putabat, *Ioh.* 4. 11. Fides in Christum sunt scalæ Iacobi, quarum summitas coelum, extremitas terram tangit, quibus in coelum asscendimus, panis illius coelestis verè participes simus, verum carnem & sanguinem Iesu Christi manducamus, vereque percipimus; non perceptione corporis alicuius invisibilis, quod omnibus aut saltem pluribus in locis, sine certi tamen spatij occupatione, esse fingitur, & nullibi tamen dari potest, sed veri visibilis eiusdemque corporis Christi, quod in cruce pependit; nec carnem & sanguinem Christi solummodò percipimus (quum eædem nihil prosint,) sed & ipsum Christum cum omnibus beneficijs & meritis, quatenus eadem per fidem tàm certo nobis applicamus, quasi nostra essent.

Fides est illa hydria, quâ hanc aquam, quam Christus nobis dat, quæque fit fons aquæ salientis in vitam æternam, haurimus. Et hunc Panem coelestem, hanc Aquam vivam in S. Coena sub certo symbolo panis & vini Christus nobis exhibet: quæ exhibitio quomodo intelligenda sit, hoc loco, ne Lectorem filo fortè prolixiori fatigemus, non docebimus, quum & scopus noster sit, absurdam & manifestas contradictiones involventem, de corporali Christi præsentia in S. Coena, sententiam solummodo detegere.

III. Idem corpus naturaliter pluribus poße eße in locis, aut poße eße alicubi sine certi spatij occupatione, nullus hactenus Physicus vel Metaphysicus, nullusve nisi perfrictæ frontis Lutheranus admittet. Nam omne corpus eße quantum, & quatenus est quantum, in longum latum & profundum eße extensum, & quatenus est extensum, certum locale spatium suis dimensionibus replere & occupare, & quatenus certum locale spatium occupat, atque in eodem permanet, nullum aliud corpus in spatium sibi commensuratum poße admittere, apud omnes in confesso est.

IV. O-

IV. Omnibus igitur rationibus & argumentis hodierni Lutherani destituti, Dei omnipotentiæ pallio hæc absurda tegere alloborant, asserentes, *Primi agentis, h. e. Dei, liberalitate & potentiâ posse fieri, ut corpus quod est alicubi circumscriptivè, non sit in uno aliquo loco partiali, sed pluribus*: rursus, *Quòd est alicubi circumscriptivè eâdem Dei potentiâ posse esse alicubi citra spatij occupationem: & propterea Christum corporaliter in S. Cœna posse esse præsentem. vid. Scheibl. Metaph. cap. 17. tit. 6.* *Resp.* A potentia Dei non licet argumentari ad confirmandum id, quod verbo Dei, imò ipsi naturæ Dei est contrarium. Quamvis Deus plurima supra naturam facere possit & faciat, nullum tamen vestigium in s. literis apparet, Deum posse quicquam contra naturam, v. g. *idem corpus posse esse pluribus simul in locis citra spatij localis occupationem*, efficere. Nam hoc cum Dei veritate, perfectione, & immutabilitate pugnaret: sic Deus posset se ipsum abnegare, mentiri: sic Christus simul esse posset Etiam & Non; contra manifesta Scripturæ loca, *2. Tim. 2. 13. Tit. 1. 2. 2. Cor. 1. 19.*

V. At excipiunt, *Corpus Christi desiisse esse corruptibile, & nunc esse gloriosum ac propterea posse esse pluribus simul in locis*. *Resp.* Gloriositatem corporis naturam aut eßentiam immutare, non nisi Socinianus admittet. Præterea quum in prima Cœna corpus Christi, etiamnum corruptibile, secundum Lutheranos, fuerit pluribus in locis, sc. assidens mensæ, & simul in ore & stomacho 12. discipulorum, hoc effugium nullum eße cuilibet obvium est.

VI. Et sic derisui vel commiserationi potiùs seipsos exponunt, quum dicunt *Corpus Christi in S. Coena percipi quidem Orali, sed Supernaturali modo*: Perinde est enim ac si dicerent, *Percipi naturali*, (h. e. orali) *sed non naturali* (h. e. supernaturali) *modo*.

FINIS.

SOLI DEO GLORIA.